

mihī debeat afferre. Nam denudari quempiam quibuscunque rebus aegrum est atque acerbum, denudari ab inimico acerbius, denudari civium suorum benivolentia et gratia, qualis est vestra omnium in me, acerbissimum, sicut e contrario hac ipsa frui, quod in me experior, iocundissimum est. Quare cum in talium tantarumque rerum discrimen adducar, viri Athenienses, vos universos rogo et oro, ut me legitime respondentem criminibus, ita ut leges iubent, audiatis. Nam primus ille conditor Solon, vir patriae amantissimus atque in primis popularis, leges non solum scripto suo sed etiam iureiurando | *Fol. 3 v.* vestro, qui iudicaturi estis, sanciendas esse existimavit, non cui vestra fides veniret in dubium, ut mihi videtur, sed qui intelligeret, quas actiones quasque calumnias accusator, qui priore loco dicit, intendisset, eas refellere, integrum reo non esse, nisi quisque iudicantium, religionis deorum immortalium memor, tum benigne eum, qui posteriore loco de iure suo dicturus est, audiat, tum similem paremque attentionem praestans singula quaeque cognoscat.

Redditurus igitur hodierno die, ut video, anteaetae vitae rationem et privatis in rebus et publicis, volo quemadmodum in initio feci, testari iterum deos et in conspectu vestro precari, primum ut, quantum ipse perpetuo tum erga rem publicam tum erga cunctos vos benivolentiae gessi, tantundem vos erga me hodie geratis in hac causa: deinde, quod cessurum est vel universorum gloriae vel singulorum pietati, dii vobis mentem dent, ut id de accusatione hac sentiat. Atqui, viri Athenienses, si ea demum attigisset Aeschines, quae me apud vos reum facerent, eodem ego praescripto respondens crimina mea omnia et quidem protinus diluissem. Nunc vero cum non plura iste de causa quam extra causam verba fecerit atque consumpserit, passim de me calumniatus, necessarium mihi et iure optimo concessum existimo, de his ipsis, quae praeter rem dicta sunt, prius pauca perstringere, ut ne quis illa pro veris accipiens defensionī meae sit adversior. Qua de re quod ad privatam vitam meam attinet, in quam iste petulantissimis verbis invectus est, videte quam expedita utar oratione, quam iusta. | *Fol. 4 r.* Si qualem ¹⁾ hominem conuiciator hic ait ²⁾ esse me, talem vos quoque sentitis, viri Athenienses, — neque enim alibi quam apud vos vixi — non deprecor, ut etiamsi de re publica plus quam optime meritus sim, tamen hiscere me non

1) quidem C. 2) aut C.